

casurus videatur? Nihil igitur obstare, quo minus, sibi Navarræ Regem adjungendo, regie salutis, totiusque Gallie incolumitati consulatur. Hæc apud Henricum sententia cum vicisset, Navarræus propius Ligerim se infert; in itinere castella quædam ac civitates recipit; amne trajecto, in Turonibus cum Rege congreditur; inter eos his conditionibus convenit: Ne vetus religio detrimentum aliquod patiatur; ne sacratis viris damna molestiæve inferantur: Quæ bello urbes, arces, oppida vi vel deditio recipiantur, Regi accedant; una tantum in singulis provinciis Navarræo securitatis pignore permittatur.

De Gallie Regis cum Navarræo inita societate Xystus certior factus, jampridem ob Guisiorum necem, Antistitisque Lugdunensis captivitatem, concepta meditataque consilia exequi parat. Non deerant sane, qui multa inde, eaque gravissima detrimenta, si Rex anathemate percuteretur, Gallie funesta, christianæ reipublicæ acerba ac luctuosa vaticinarentur; Pontificique ipsi ob oculos ponerent. Ac Veneti per Albertum Baduarium, oratorem, Xysto suadebant, ut justam indignationem mitigaret, meritæ iracundiæ temperaret, perturbatum afflictumque regnum patris affectu complecteretur; secumque reputaret, Regem alioqui catholicæ religionis studiosissimum, necessitate compulsus, ad Navarræi auxilia confugisse. Verum ille cum pro Apostolicæ Sedis dignitate, tum pro catholica religione conservanda, quam imminutam atque prope everfam in Gallia cerneret; nihil sibi superesse affirmabat, quam ut e sacrarum legum præscripto Henricum coereret: nihil adeo grave, insolens adeo accidere posse, quo a debita, ob tot congesta crimina, in Henricum animadversione averteretur: multorum Pontificum præclara atque illustria exempla sibi ad intuendum objici, qui pro dignitate atque incolumitate sanctissimæ Sedis nullos cruciatus, nulla tormenta exhorruissent, lætique animam pro sanctissima religione efflassent. Itaque *litteras monitorias*, ut appellant, ad Henricum mittere statuit, quas jurisconsultorum theologorumque judicio prius examinandas expendendasque proponit. Sententiam legatis Principum aperit: eo jubente, litteras Bretinori Episcopus Veneto oratori ostendit; qui, si qua ratione posset, aliquantisper Pontificis animum sedare, morasque injicere, sed

Conventio-
nes inter
Henricum
Regem et
Navarræum.